



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem  
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita  
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi  
Concionatoribus vsui esse poßit

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, M.DC.XVI.**

1. V. sit aliquis singularis homo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)



Iren.

Iren. dixit libr. 4. capi. 43. prophetia, donec impleantur, obscurissimae sunt, hinc factum est ut tota haec materia de Antichristo perobscura sit, & in rebus multis incerta, & idcirco ea solum proferemus, quae in Scripturis sanctis, prout ab antiquis Patribus intellectae sunt, fundamentum habent. Sunt autem in veteri testamento tria tantum loca, in quibus ad litteram de Antichristo sermo est, Daniel. 7. 11. & 12. in nouo autem Testamento sex loca videntur esse potissima, Matthae. 24. Marc. 13. Ioan. 5. 2. Thessalonicen. 2. 1. Ioan. 2. Apocalyp. 13. In quibus locis videntur omnes Patres, & vbiunque de die iudicii seu de secundo Christi aduentu scribunt. Ex quibus varia loca indicauimus Disp. praecedenti, Sectione vltima, & ex recentioribus multa congerunt contra haereticos huius temporis Sanderus libro 8. de visib. Monarch. & Bellarmin. libr. 3. de Roma. Pontifice, Benedictus etiam Pererius lib. 14. & 15. in Daniele.

## SECTIO I.

*Virum Antichristum sit certus aliquis, ac determinatus homo.*

Vox Antichristi quid denotet.

1. Ioan. 2.

1. Ioan. 4.  
2. Ioan.

Damas.

Hieronym.

August.

Primum omnium supponenda est significatio, seu etymologia nominis *Antichristi*, quod in Scriptura solum reperitur apud Ioannem, & per illud euidenter denotat hominem iniquum, hostem Christi, atque in omnibus illi contrarium. Sic enim ait 1. canon. cap. 2. Filioli nouissima hora est, & sicut audistis, quia Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt: & infra, Quis est mendax nisi is, qui negat quoniam Iesus est Christus, hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium, & capit. 4. Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus. Et Epistol. 2. Qui non confitetur, Iesum Christum venisse in carne, hic est seductor & Antichristus. Significat ergo haec vox hominem Christo contrarium, & qui eius fidem, ac religionem euellere conatur. Et hoc sensu vtuntur hac voce omnes Patres, qui de Antichristo loquuntur, vniuersaque Ecclesia, & ipsa Graeca compositio vocis hoc praefert, quia vox *anti* oppositionem significat, ut notauit Damascen. 4. de fide, cap. 27. dicens, Venies non pro Christo, sed aduersus Christum, quae etiam de causa Antichristus dicitur: & Hieronym. Epistol. 151. ad Algasiam q. 11. dicens. Ipse est enim vniuersorum perditio qui aduersatur Christo, & ideo vocatur Antichristus. Idem Augustinus tract. 3. in 1. canon. Ioann.

Ex hac ergo nominis etymologia, adiunctis praedictis testimonijs Ioannis, existimant aliqui Antichristum non fore certam aliquam, & determinatam personam: sed significare quemcunque hominem Christo contrarium, ut Iulianum apostatam, Mahometem, Arium, Lutherum, & similes. Quo sensu haeretici huius temporis dicunt, Romanum Pontificem esse Antichristum, quamuis non sit vnus determinatus homo, sed multi, qui in eadem sede sibi succedunt. Quorum mendacium euidentibus demonstrationibus conuincunt autores nuper citati: nobis autem non est in hoc immorandum. Constabit enim manifeste ex ijs, quae dicimus, nullam Antichristi notam seu proprietatem in Romanum Pontificem conuenire.

Secunda sententia hic referri potest, nimirum Antichristum fore determinatam personam, non tamen hominem, sed ipsum Daemonem, vel fortasse Daemoniorum principem apparentem in forma humana, non vera, sed phantastica. Ita sentit Hippolytus libr. de consum. mundi. Alij vero dixerunt futurum esse Daemonem, simul tamen verum hominem, scilicet incarnatum Daemonem in vera humanitate. Quorum fundamentum non videtur fuisse

Hippolyt.

A se aliud, nisi quia ea, quae de Antichristo dicuntur 1. 2. Thessal. ad Thessal. 2. & praesertim eximia illa superbia extollendi se supra omne quod dicitur Deus, & se ostentandi tanquam sit Deus, non potest de alio, quam de ipso Damone existimari. Hoc indicat Theodor. libr. 5. diuinorum decretorum, capit. de Antichristo, dicens, Ante aduentum Domini veniet, humanam naturam subiens, hominibus perniciosus, Deique aduersarius Daemon, & sicut olim hoc nomen, Deus, usuratus id sibi imposuit, ita Christi Domini appellatione usurpata omnes decipiet. Citari etiam solet Ambrosius 2. ad Thessalonicen. 2. vbi dicit Daemonem sub Christi nomine tempore Antichristi conaturum homines adducere ad se adorandum. Et sunt, qui existiment Hieronymum Daniel. 7. & Bedam Apocalyp. 13. indicare hanc sententiam. Nam reprobandes praecedentem, dicunt futurum esse hominem in quo Satanas habitaturus est corporaliter. Nam hoc dicendi genere solet vera incarnatio significari, iuxta illud ad Colossen. 2. secundo. In quo habitas plenitudo diuinitatis corporaliter.

Theodor.

Ambros.

Hieron.

Beda.

Coloss.

Dicendum vero est primo, Antichristum futurum esse verum hominem. Existimo esse assertionem certam de fide. Primo ex 2. ad Thessalon. 2. Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati. Vbi ex sententia omnium sermo est de Antichristo, qui homo a Paulo appellatur: non posset autem ita simpliciter vocari, nisi esset verus homo. Et simili modo ponderat pro hac veritate Hieronymus illa verba Daniel. 7. Et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentis, vbi est sermo de Antichristo, qui dicitur futurus homo, oculos, & os habens. Et confirmatur ex verbis Christi Ioan. 5. annis quinto. Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo illum accipietis. Vbi illae voces alius, & illum euidenter alium hominem denotant: est autem ibi sermo de Antichristo, vt exponunt ibi Chrysostomus, & Cyrillus Damascen. Chrysost. & Hieronymus supra citati. Irenaeus libro 5. capit. 25. & Cyrillus Hilarius libro 9. de Trinitate, & libr. de vnitat. Patris & filij, & Ambrosius libro 1. de Spiritu sancto capit. 14. & Theodoretus lib. diuinorum decretorum capit. de Antichristo. Secundo, quia ita docent omnes Patres citati, & alij qui de Antichristo scribunt, & hic est vniuersalis consensus Ecclesiae. Tertiò confirmari potest, quia mors supponit veram vitam sed Antichristus verè morietur: ergo viuet etiam vera vita corporali hominis, erit ergo verus homo. Minor propositio conitatur ex Paulo, secunda ad Thessalonicen. 2. dicente, Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. Interfectio enim veram mortem significat. Quod si quis fortasse contra hanc rationem obijciat, Antichristum non esse moriturum, ex Apocalyp. 19. vbi de Bestia, & Pseudopropheta eius dicitur. Vni missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis. Respondetur primum etiam hoc admittamus, eandem esse argumenti vim, quia viuere vita humana, de qua ibi est sermo non conueniet nisi vero homini. Deinde dicitur cum Beda Anselm. & D. Thom. illos dici in Apocalyp. viuos detrudendos in infernum, non quia morituri non sunt: sed vt acerbitas poenae eorum significetur. Vel melius fortasse eos viuos terra abforbebit in suu Christi, & ideo dicuntur descendere viui: tamen interficientur in ipsam terram antequam perueniant ad gehennam, sicut de Dathan, & Abiron interpretatur Abulen. Numer. 16. quaestione 20. Atque huc simile argumentum est, quia humana origo, & generatio non est nisi veri hominis: ostendimus autem in sequenti Sectione ex sanctis Patribus, Antichristum ducturum originem ex Iudeis, & (quod mirum est) ipsemet Hippolytus docet futurum ex Tribu Dan, quod non potest consistere cum eius sententia: nisi hoc intelligat solum secundum apparentiam, id est (hoc enim indi-

Antichristus verus homo futurus.

2. Thessal.

Hieronym.

Dan. 7.

Ioan. 5.

Chrysost.

Hieron.

Damas.

Hieron.

Iren.

Hilar.

Ambros.

Theod.

2. Thessal.

Hippolyt.



indicat) demonem formatum in vtero alicuius feminae (quae originem ducat ex tribu Dan) humanum corpus, non verum, sed apparens, atque ita nasciturum ex illa etiam phantastice, & secundum apparentiam, atque hoc modo dici de Tribu Dan. Sed hoc alienum est à sensu omnium Patrum, & à veritate absoluta locutionis.

Secundo dicendum est, Antichristum non solum futurum verum hominem: sed etiam veram humanam, personam propriam, & connaturalem humanitati: itaque non erit persona demonis incarnata. Hanc conclusionem docuit expresse Damasc. libr. 4. capite 27. reprobans contrarium errorem. Neque vero (inquit) quemadmodum Dominus humanitatem assumpsit, ita etiam diabolus homo efficietur, (absit enim hoc) verum homo ex fornicatione parietur, atque omnem Sathanae asflatum suscipiet. Deus etenim incredibilem quandam futurae ipsius voluntatis perversitatem praeoscens, Diabolum in eo domicilium sibi constituere sinet. Et eodem sensu loquuti sunt Hieron. & Beda. Neque enim oportet, ut illud corporaliter, eodem sensu acceperint, quo Paulus: sed vbi sunt eo modo loquendi ad explicandum, eum esse futurum veluti proprium demonis domicilium. Atque ita etiam loquitur & luculenter exponit Autor libri de Antichristo inter opera August. 6. neque Ambrosius dissentit, & Theodo. in eundem modum pie explicandus est. Ratio vero est, quia in primis probabilis est, fieri non posse, ut creatum suppositum alteri naturae hypostatice uniatur, ut in superiori tomo ostensum est. Deinde est certum, etiam si hoc in se non implicet contradictionem, non tamen posse fieri virtute demonis. Deus autem cur efficeret tantum miraculum & supernaturalem unionem in persona demonis, cum illud ad nullum finem bonum, ac Deo dignum conferre possit? Addo etiam neque ad praeos fines ipsius Demonis, neque ad omnem malitiam, quam in illum hominem effunderet aliquid conferre huiusmodi unionem. Quia etiam si fingamus humanitatem unitam hypostatice Angelo, non haberet natura angelica maiorem virtutem in voluntatem humanam: neque alio modo posset illam malum vel bonum inducere, quam nunc possit, etiam si in suppositis diuersis exsistant: ergo quantumque superbia, vel malicia futura sit in illo homine, & quantumvis à demone sit decipiendus, ac regendus, non est ea de causa necessaria hypostatice unio.

Hinc etiam obiter intelligitur, Antichristum non esse hominem formandum virtute demonis absque humano semine ex sola virgine, seu femina (ut quidam commenti sunt, teste autore lib. de Antich. nomine Aug.) hoc enim erroneum est. Quia demon non habet virtutem ad formandum, & organizandum verum humanum corpus, & hoc facere sine causis secundis est opus solius virtutis Dei, qui tantum in prima hominum creatione, & in Christi Domini conceptione ea usus est. Tribuere autem hoc miraculum Deo in generatione antichristi, impij ac stultum est: tribuere autem illud demoni, erroneum est. Quia est attribuere demoni diuinam potestatem. Si quis autem diceret, Antichristum generandum esse à demone succubo, & incubo medio semine humano, diceret quidem rem incertam, non tamen impossibilem, neque erroneam.

Dico tertio Antichristum propriè, & iuxta primam impositionem huius vocis significare quendam certum, ac singularem hominem insignem hostem, & aduersarium Christi. Est res certissima, & de fide. Cuius sensum his verbis rectè explicat Damascen. sup. omnis qui filium Dei, ac Deum in carne venisse ac Deum perfectum esse, atque hominem perfectum minime confitetur, Antichristus est. Ceterum peculiari, ac praecipuo modo Antichristus ille dicitur, qui sub mundi catastrophem venturus est. Itaque sicut Christus prius in

Fr. Suarez. tom. 2.

A lege promissus, certus, ac singularis homo existit, quanquam secundum quandam participationem gratiae, aut sacerdotalis, vel regiae vocationis, alij sint Christi appellati, ita quidam est singularis homo Christi hostis omnium acerrimus, quem Antichristum appellamus, & de quo totus hic sermo instituitur, qui secundum Domini aduentum proximè antecedit, quamvis propter participationem, vel similitudinem cum illo alij etiam Antichristi dicantur. Et hoc modo explicata conclusio est expressa in Scriptura sacra Ioannis quintò. Ego veni in nomine Patris mei, & non accepisti me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Qui locus est probabilis propter auctoritatem Sanctorum (quos supra citavi) tamen per se sumptus non videtur cogere. Quia post Christum plures fuere, qui sua auctoritate se Christos finxerunt, & à Iudaeis recepti sunt, ut patet ex Iosepho libro 2. de bello Iudaico, capite 6. alias 12. & libro 20. Antiquitatum capite 2. alias 4. & de Simone Mago legimus Actuum 8. quod se Christum finxerit, & à multis Iudaeis receptus sit. Christi autem verba non ad vnum tantum, sed ad hos omnes applicari possunt, ut non singulariter, sed indefinite intelligantur. Sed prior expositio (ut dixi) est verior. Quia vnus est, quem Iudaei expectant, & vnus erit, quem omnes tandem recipient. Nam illi alij, qui se Christos finxerunt, non sunt ab omnibus Iudaeis recepti: sed paucos quosdam deceperunt. Expressiora vero testimonia sunt 2. ad Thessalonicens. Nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, & infra, Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, cuius est aduentus secundum operationem Sathanae, in omni virtute, &c. Vbi euidenter est sermo de singulari persona, & ideo in Graecis codicibus additur semper articulus, quo denotatur singularis persona. Et idem colligere licet ex Danielis 7. 11. & 12. & Apocalyp. 13. vbi praedicitur quidam singularis Rex futurus, qui destruet alia regna, & Sanctos Dei crudelissime persequetur, Et exsollet se supra omne, quod dicitur Deus, quas prophetias de Antichristo intelligunt omnes Patres supra citati, & non possunt de throno aliquo, vel hominum successione intelligi, sed de vno singulari homine. Dices: Alia regna, quae apud Daniele in quatuor bestiis, vel decem cornibus ostenduntur, non sunt singulares tantum personae, sed Monarchiae cum multorum Regum successione: ergo idem dici poterit de Antichristo. Respondetur negando consequentiam, tum quia ibidem dicitur, regnum Antichristi cum ipso esse extinguendum (ut infra videbimus) tum etiam quia opera, quae ibidem praedicuntur de Antichristo non possunt nisi in vnum singularem hominem conuenire. Quae omnia ex dicendis clarius constabunt. Et specialiter confirmari hoc potest ex loco Apocal. 13. vbi describuntur propriae actiones, & mores illius bestiae, per quam Antichristus significatur, qui habiturus dicitur proprium ac peculiare nomen. Ijs enim signis, & notis solent indicari singulares & indiuiduae personae. Non aperuit autem Ioannes clarè, quod sit futurum proprium nomen illius hominis, sed in ænigmatè illud proposuit dicens, in nomine eius futurum numerum sexcentorum sexaginta sex, id est, nomen illius componendum esse ex literis Graecis (Ioannes n. Graecè scripsit) quae illum numerum contineant. Vnde orta sunt varia iudicia, & diuinationes illius nominis, quae in praedictis autoribus videri possunt. Mihi enim non placet in eis referendis immorari, quoniam verissimam censeo sententiam Irenaei, dicto libro 5. nihil in hoc constanter affirmari posse. Quia multa excogitari possunt nomina, sicut à multis extogitata sunt, quorum literarum numerum illum contineant. Eamque ob causam Spiritus sanctus sub illo tantum ænigmatè nomen proposuit: quia sciri noluit, donec prophetia esset impleta, quando id

Hhh 2

pro-

Damasc.

Hieron.

Beda.

Aug.

Ambros.

Theodor.

Antichristi

generatio

conceptio

qualis

Aug.

Antichristus

singularis

quidam ho-

mo, Christi

hostis acer-

rimus.

Damasc.

Ioan. 5. 43.

sup. 1. 1. 1.

2. 2. 2.

Ioseph.

1. Thessal. 2.

Dan. 7. 11.

12.

Apoc. 13.

Apoc. 13.

Antichristi

nomen.

Iren.



prodesse poterit ad ipsum Antichristum cognoscendum. Vltimo, Antichristus, & eius persecutio proposita sunt in Scriptura, ut signū certum, quod præcedere debet secundum Christi aduentum, ut patet 2. ad Thessalonicen. 2. Rogamus vos, ut non cito moueamini, neque terreamini, quasi instet dies Domini. Quia nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, &c. Sed si non esset Antichristus certus, & determinatus homo, nullum esset hoc signū: ergo.

Antichristi  
multi quo-  
modo.  
1. Ioa. 2. & 6.

Neque contra hoc obstat locus Ioan. 1. canon. ca. 4. Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, & ideo capite. 2. dixerat multos esse Antichristos. Nam ibi Ioannes vtramque significationem huius vocis ponit à Damasceno indicatam. Sic enim ait capite. 2. Audistis, quia Antichristus venit, ubi Græcè ponitur articulus &, ut significet, se loqui de singulari illo, ac proprio Antichristo, qui ab initio Ecclesiæ prædici cœpit, & in hoc confirmat veritatem propositam. Deinde subiungit, Nunc Antichristi multi facti sunt, scilicet, secundum quandam participationem, & similitudinem in spiritu contradicendi Christo, & discedendi ab illo.

### SECTIO II.

*Verum Antichristus iam venerit, aut quando, unde, & ex quo genere expectandus sit.*

Quoniam existimant, Antichristum fore aliquam singularem personam: sed aliquod imperium & successionem hominum in illo regnantium, vel quemcumque insignem hostem Christi, facile existimant venisse Antichristum. Et ita sentiunt omnes hæretici huius temporis fingentes spirituale Romani Pontificis imperium esse regnum Antichristi. Ex ijs vero, qui certam aliquam personam designant, non defuerunt, qui dicerent, Antichristum iam venisse, & quidam dixerunt illum fuisse Neronem, ut notauit Hieron. Dan. 11. & Seuerus Sulpitius, libr. 2. sacre histor. Quæ opinio (ut Aug. notauit 20. de Ciuitat. cap. 19. occasionem sumpsisse videtur ex verbis Pauli 2. ad Thessal. 2. ubi loquens de Antichristo ait, Nam mysterium iam operatur iniquitatis, quod videtur propter Nerorem dixisse, qui tunc Ecclesiam persequabatur, & tamen illum vocat Antichristum qui iam operabatur: non posset autem operari, nisi iam existeret. Vnde expressius Ioan. 1. Canon. ca. 4. dixit. Antichristus iam in mundo est. Quod si inquiras, quomodo Nero, qui iam fuit, persequiturus sit Ecclesiam in fine mundi. Respondent, vel suscitandum fuisse, vel nondum esse mortuum. Ita refert Augustinus supra, Sed multum, inquit, mihi mira est hæc opinantium tanta presumptio. Quæ enim maior temeritas excogitari potest, quam fingere, iniquum, ac crudelem Ecclesiæ persecutorem diuinitus ac miraculosè viuum conseruari, & reuera mortem non subijisse, quam omnes historiæ referunt? Aut vero damnatum iam hominem miraculosè suscitandum esse ut iterum Ecclesiam diuixeret? Alii excogitarunt Mahometem fuisse Antichristum. Ita refert Clichtonæus in commentariis, Damasc. lib. 4. capit. 27. qui non audet definire, an falsa sit hæc opinio, & affert plures coniecturas, quibus eam suadeat. Potissimæ sunt, quia Mahometes in doctrina & moribus, fuit valde dissimilis, atque contrarius Christo. Quæ ratio valde infirma est, tum quia communis fere est multis hæreticis, & apostatis, & non facile potest iudicari, ex omnibus, qui hæcenus Christo aduersati sunt, quis fuerit illi maxime contrarius. Tum etiam quia ad ostendendum aliquem esse Antichristum, non satis est, quod aliqua, vel multa iudicia, eorum, quæ de Antichristo dicta sunt, in illum conueniant, si multa alia deesse reperiuntur. Sed iniquum, prædi-

Hieron.  
Seuer.  
Sulp.  
2. Thessal. 2.

1. Ioan. 4.

Clichton.

Mahometes  
non fuit An-  
tichristus

atum esse Apocal. 13. Antichristum futurum anno sexcentissimo sexagesimo sexto ab aduentu Christi: Mahometes autem eo anno exortus est, & sectam suam disseminare cœpit. Respondetur, assumptionem esse falsam, quia in Apocal. nihil prædicitur de anno, in quo venturus est Antichristus: sed solum prædicitur numerus continendus in elementis nominis eius. Deinde quod subsumitur, etiam est incertum. Nam licet constet Mahometanam sectam cœpisse post sexcentimum annum Domini: tamē non constat, peruenisse ad sexcentimum sexagesimum sextum annum. Nam potius chronographi referunt, sexcentesimo vigesimo tertio anno prædicare ac regnare cœpisse Mahometem, & ad summum quatuordecim annis postea vixisse. Denique tempore Paschalis secundi, (ut in actis eius legitur) quidam Episcopus Florentinus ausus est affirmare, Antichristum ortum esse anno Christi millesimo, & coacto concilio damnata fuit à Pontifice eius sententia.

Dicendum igitur est primo, Antichristum proprie dictum, & quem singulariter scripturæ prædicant fore, nondum venisse, seu regnasse. Hanc conclusionem existimo omnino certam, eamque docent omnes Patres hæcenus citati, qui de Antichristo scribunt, & quos statim indicabimus. Eius vero probatio pendet ex multis, quæ inferius dicenda sunt, alijs signis, quæ diem iudicii præcedent, qualia sunt euerio Romani imperij, prædicatio Euangelij in vniuerso mundo, aduentus Eliæ, & Enoch, & alia signa, quæ in celo, & in elementis fient, & de ordine horum signorum inter se. Et ideo, ne confundamus ea, quæ de singulis dicenda sunt, nunc solum probatur ex ordine regni Antichristi ad alia regna, & ex breui duratione, & extinctione personæ, ac regni eius, ac denique ex temporis breuitate, quæ intercedet inter eius obitum, & idem iudicii. Primum declaratur ex c. 2. & 7. Dani. ubi iuxta eiusdem prophetæ interpretationem, per quamdam statuum habentem caput aureum, pectus argenteum, ventrem æneum, & tibias ferreas significata sunt quatuor imperia Assyriorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, quæ eodem ordine sibi successerunt, quæ etiam significantur c. 7. per quatuor bestias. Postea verò prædicitur Romanum imperium diuidendum in decem regna, quæ c. 2. significantur per decem digitos, quos statua habebat in tibijs: ca. vero septimo per decem cornua, quæ ex quarta bestia adnascabantur, quæ sub eodem enigmate prædicuntur Apol. 13. Postmodum vero additur, post illa decem regna oriri aliud, quod per cornu parvulum Dan. 7. significatur, & de eo dicitur, habiturum os loquens ingentia, & futurum maius cæteris, & facturum bellum aduersus Sanctos, &c. & ita Patres omnes per cornu illud Antichristum intelligunt, ut patet ex Hier. & Theodor. ibi, & Iren. dicto li. 5. contra hæc. & Aug. 20. lib. de Civ. c. 13. Hinc ergo omnes colligunt, Antichristi regnum esse postremū inter omnia temporalia regna, seu monarchias mundi, & ita post illud non describitur in Daniele, neque in Apocalypsi aliud temporale regnum, quod illi succedat, sed iudicium Dei, & æternum regnū Sanctorum. Colligit præterea, regnum Antichristi non esse futurum, donec imperium Romanum in plura regna sit diuisum, & extingatur. Ex ijs ergo concluditur ratio. Hæcenus imperium Romanum non est prorsus extinctum: nam licet in plura regna sit diuisum, adhuc tamen durat & nomen & dignitas Romani imperij. Rursus nondum extitit Rex aliquis, qui omnia illa regna, in quæ Romanum imperium diuisum est, inuasit, sibiq; subiecerit, signum ergo est, Antichristi tyrannidem nondum incepisse. Hæc ratio pendet ex multis quæ postea dicturi sumus Disputatione 56. Sectione 2. & ideo ut sit effeaz, coniungenda est cum sequenti.

Antichristum  
nondum ve-  
nit.

Danieli

Apoc. 13.

Dan. 7.

Hieron.

Theodor.

Iren.

Aug.

Secur-